



Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

§. 3. De laudabili patientia dolorum corporis aliunde illatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

Patrocinium Defunctorum. Lib. III. 285

quas mihi longum esset recensere, tibi, mi Lector, brevius, & utilius erit imitari.

§. 3.

De laudabili patientia Dolorum corporis aliunde illatorum.

378.
Patientia
rerum ad-
versarum
defunctos
levat.

LAUDABILEM hinc intelligo, quæ à sine supernaturali laudem, dignitatemque sortitur, ut si famem, sitim, morbos, licet necessariò, tamen æquo animo pati ad Majorem Numinis eos inferentis gloriam, ad testandam voluntatis tuæ cum Conditoris voluntate consensionem, atque ad alios ejusmodi fines Christiano homine dignos. Alioqui enim flagella ista nec ad meritum, nec ad satisfactionem valent: tantum abest, ut eorum permissio defunctis possit prodesse. Porro Christianæ patientiæ vim ad eos levandos his rebus metiri licet. Primùm quod per patientiam animus Deo vindici submitatur, ejusque proinde majestatem agnoscat, ac veneretur. nam submissio illa valet utique ad reparandam injuriam eidem Numini culpis nostris illatam, cum quibuslibet culpis aliqua contemptus Dei ratio continetur. Valet itaque eadem submissio, ac patientia, ad satisfaciendum pro culpis, pœnisque piorum manium, si illis addicatur. Deinde patientia rerum molestarum est foris, ac præter voluntatem obtingentium. Quare libertate alicujus compensanda videtur. Cujus rei figuram habes in sacrâ historiâ, ubi si herus servum percussisset gravius, dimittere illum jubebatur. Sic enim apud Hebræos Rabbi Johanan: *Quem Deus amat, corrigit, & punit. Si herus dentem, aut oculum excutit, Dei lege tenetur eum liberum dimittere; quanto magis liberum hominem facient flagella à Deo inflicta, quæ totum hominem corripunt!* Sic ipse. Si ergo fructus patientiæ piis manibus assignetur, libertatis dulcissimum fructum eis gustare licebit, atque adeò patienti fructum divini voluptatis.

379.
Patientia
est despon-
satio cum
sponso ce-
lesti.

Denique idem conficere est ex hac Blosii c. 9. Monilis oratione. *Sancta Gertrudis divinitus intellexit, quod quemadmodum annulus est signum desponsationis: ita adversitas tam corporalis, quàm spiritualis humiliter propter Deum tolerata, est verissimum signum divini electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo, in tantum, ut gravatus quisque dicere possit confidenter hæc verba. Annulo suo subarrhavit me Dominus meus IESVS CHRISTVS. Quod si inter adversa potest dono Dei etiam*

laudare Deum, & ei ex animo gratias agere, iam tamquam sponsa amabilis coronam obtinet à Domino, quia gratitudo animi in adversis est ornatissima, & pretiosissima corona animæ. Ita Blosius. Quis autem non videt, quin sponsus cum sponsam sibi desponderet, eamque coronâ nuptiali cingit, pronissimus sit ad condonandas illi cum suas, tum aliorum, pro quibus orat, culpas, ac pœnas? Quis non intelligit celestem Sponsum cæteros in eo genere lenitatis anteire?

Itaque eâ causâ crediderim prærogativam illam D. Laurentio concessam esse, ut qualibet feriâ sexta animam unam è purgante ergastulo liberet. Ejus meminit Gregorius Turonensis sermone quem de eodem scripsit, confirmatque autoritate Abbatis probatæ fidei, ac sanctimonie, qui cum cœnobio S. Laurentii in Gallia præfesset, mirabili ostento eam rem edoctus est: sub cujus ostenti finem sic eum affatur Angelus. *Abba, iste, quem cernis, Levita Laurentius, qui Martyrium, & ignem pro Christi nomine passus, tanto hoc privilegio insigniri meruit, ut qualibet hebdomada animam unam è Purgatorii ignibus possit eximere.* Hactenus Angelus. Ex quo intelligis tormentorum corporis tolerantiam majorem in modum expiandis animis optulari.

380.

D. Laurentii
virtus
ad animas
levandas.

Sed dubitationem omnem eximet Pater Antonius Daniel è Societate Jesu in Nova Francia crudelissimè ab Hieroquiis, fidei, ut videtur, causâ interemptus. Is uni è nostris homini sanctitatis præcipua, & probatissimæ humilitatis, semel atque iterum post mortem adesse visus est. Ac primùm quidem patribus in exilium actis, agentibusque, ut assolent, de re Christiana promovenda, author hortando fuit, ut salutem infidelium strenuè pro Dei gloria procurarent. Postea se conspiciendum de integro dedit, augustiore vultu, & majus quiddam humano spirans; annos ætatis præ se circiter tricenos ferens, quamquam duodequingagenos egisset in vivis. Scificitanti autem ei, cujus se obtulerat aspectui, ecquid consilii fuerit divino Numini, in ea tam indigna sævitia barbaris in servit sui corpus permittenda, & eo demum flammis funditus abolendo. Respondit, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, qui horum servi sui opprobriorum, contumeliarumque respectu, multas mihi animas è Purgatorii ignibus erutas dedit, quæ meum in Cœlo triumphum ornarent. Atque his dictis videri desuit. Ita Pater Allegambe in mortibus Nostrorum illustribus.

Patientia
B. Danielis
multas
animas cœ-
lo infert.

Nn 3

Idem

881. Idem quoque ex subjecta historia lucu-
Pauper- la mulier patientia monachū liberat. lenter patebit, quam ex Cœnobii S. Tru-
 donis manuscripto erutam producit Elias à
 Theresia legationis suæ l. 2. c. 23. Tempo-
 re hujus Abbatis, nempe Willielmi, qui ex
 Investito Aquisgranensi factus fuerat Ab-
 bas S. Trudonis prope Traiectum ad Mo-
 sam, circa Annum Domini 1250. contigit
 unum devotum hujus loci Monachum ab
 hoc sæculo transire, qui in ipsamet nocte
 Abbati comparens ad pœnas Purgato-
 rii addictum se ingemuit. cui compa-
 tiens Abbas ipse quæsivit per quem mo-
 dum efficacius liberari posset. In suburbio
 quod novæ domus dicitur, inquit, matrona
 paupercula moratur sub domuncula illius
 plateæ, cujus pœnitentia mihi præcipuè
 auxiliabitur: sicque anima illa evanuit. Igi-
 tur mane factò, missò festinante nuntio in-
 venit illa in tali domuncula, & nomine
 eodem nuncupata, prout anima illa prædi-
 xit. Quæ cum præsentia ipsius Abbatis
 confedisset, interrogata de statu, & modo
 suo vivendi, respondit. Charissime Domi-
 ne, ego peccatrix maritata sum, nullius
 meriti conscia, quæ habeo maritum inso-
 lentem, ebrietatem frequentantem, qui
 stram intrat, filantem me invenit, & cum
 paventem me respicit, maledictione, cum
 gravibus verberibus, sine demeritis indefi-
 nenter afficit. Tunc Abbas: Quid agis fi-
 lia post tanta gravamina? respondet, pro-
 sterno me ad orationem, & tunc recolo
 Pasionem Christi, & continuo tam dul-
 cem consolationem in mente sentio, quod
 omnium miseriarum pondus pro nihilo re-
 puto. O Charissima, Rogo te, inquit
 Abbas, ut velis nuper defunctum nostrum
 confratrem pœnitentiæ, & orationum tua-
 rum facere participem. Cui illa, liberali-
 ter, ait, profit illi totaliter, si quid in Chri-
 sto gratum offerre merui, & sic ad sua re-
 celsit. Nocte igitur sequenti Abbati in
 suo strato quiescenti anima illa in claritate
 magna apparens, gratias illi obtulit, quia à
 pœnis se liberatam, & ad æterna gaudia se
 ascendentem dulci voce resonans conti-
 nuò evanuit. En ergo habes, quam vim
 habeat satisfaciendi ad verforum patientia,
 etiam eorum quæ inopinato, ac præter vo-
 luntatem occurrunt: Quæso te vehemen-
 ter ut non frustra habeas. Memento
 quantum tuâ causâ tui laboraverint defun-
 cti: quantum etiamnum tolerant: & sal-
 tem hoc illis da, ut quod necessariò pate-
 ris, pro illis patiaris.

ARTICULUS III.

De patientia probrorum.

§ 1.

*Iniuriarum condonatio multum valet
 ad levandas defunctorum
 animas.*

V ALERE quidem exploratum est ex 882.
 illo Christi effato Matth. 6. *Si dimi- Ostendi-*
seritis hominibus peccata eorum, dimittet- tur,
 & vobis Pater vester cœlestis delicta ve-
 stra. Item ex hoc communi pronuntiato
 ejusdem Matth. 5. *Beati misericordes, quo-*
niam ipsi misericordiam consequentur. Ex
 quo loco arguere etiam licet vim eximiam
 satisfactionis in sitam huic generi miseri-
 cordiæ, quia qui injuriam famæ illaram
 condonat, plus aliquid donat, quàm si for-
 tunas largiretur, quandoquidem *Melius*
est nomen bonum, quàm divitiæ multa. Un-
 de condonationis difficultas emergit,
 (præsertim, quod nomen hoc injuria velut
 discerpatur, ac dilapidetur) estque idem
 injuriam remittere, ac nominis, & famæ
 jacturam æquo animo ferre. Si verò de
 damno, fortunis, aut corpori illato agitur,
 & illud condonare, arduum sit, necesse est.
 Nam in eo inferendo contemptus ut pluri-
 mum intervenit, quem concoquere, indo-
 li humanæ, utpote superbæ, perquam diffi-
 cile. Quare etsi vindicta neque deceat
 hominem, neque utilis sit illi, vixque ali-
 quam momenti ullius pariat voluptatem,
 quam cruciatus conscientia intolerandus
 continuo excipit, etsi condonatione egre-
 gium charitatis in Deum, ac proximum
 officium, Christi Domini nostri, ac Patris
 cœlestis imitatio, pax animi, ac vitæ tran-
 quillitas, ac denique firma spes obtinendæ
 pariter à Deo veniæ contineatur, tamen ad
 levis injuriæ sensum exardescit animus, san-
 guis ebullit, mens ad ultionem anhelat, &
 experientia ipsa demonstrat, non nisi mag-
 nâ virtute posse appetitum vindictæ com-
 primi. Quare cum opus eò potentius sit
 ad satisfaciendum, quò difficilium, explo-
 ratum est injuriæ remissioni non vulgarem
 inesse vim piis manibus opitulandi.

883.
 Testis mihi locuples illa mater, quæ Condonatione
 condonatione cædis unici filii, ipsummet fi-
 lium igneo carcere liberavit. Rem, ac sty-
 lum ex nostro Osorio mutuor. Sic igitur *fili sui*
 ipse. *mater*
ipse. Vidua erat unicum habens filium il-
lustrem, & heredem multorum bonorum. torio.
 Hunc